Nobilissimo viro D. Constantino Hugenio
Eq. Zulichemi et Zeelhemi Domino &c.
Caspar Barlaeus S.P.D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime et multis nominibus praestantissime Vir,

iam semestre est et ultra, ex quo piscibus omnibus fui mutior, alias ipsis ranis et vermis et aestivis loquacior. Ita et silendi tempora nos manent et loquendi. nec silui ratione, sed morbo, nisi & hoc à ratione sit, non loqui, et scribere, cum neutrum possis. Certè ἐχεμυθίαν invito imperavit illa mali et adversae valetudinis species, quae bonas erectioris animi species pervertere solet. Scis quid velim, quid innuam. utor ambagibus et periphrasi, quia piget πάθος illud nominare, quod me iamdudum malè habuit et lentum, pigrum, amicorum omnium immemorem, imò stipitem fecit et velut immobile saxum. Fui Niobe sine sensu. fui Morpheus, hoc est somniorum et inanium imaginationum fabricator mirus. fui veteris Moriae et Euphrasiae tuae recens natae illustris pars. fui captus oculis, non iis, quibus Lyncaeus valuit, sed quibus distinguimur ab iis viventibus, quae alteram animalis speciem sub [illegible] apud Aristotelem constituit. Merui paginam in isto tuo libello. ubi secundam meditaberis editionem, non repugno, si permiseris tot caecutientibus Achivis, aut alicubi reiiciar exempli gratia inter notas et scholia. Iam videor mihi expergisci et ex longo veterno diducere palpebras. Endymionem egi, hoc solum discrimine, quod ille experrectus post tot annorum dormitionem neminem suorum noverit; ego novisse mihi videor et te Zulichemi inter primos. qui in aula vivis, cum et alteris; in Vitantio, cum tibi tuis. in aulâ cum negotiosus esse cogeris, in Vitantio, cum te negotiis subducis sponte, quod quantivis est. in aula cum scribis iussus ad Principes, in Vitantio, cum scribis iniussus ad amicos. in aula cum calamus militat et aut ex hybernis educit militem, ut olim, aut copiarum numerum auxit, ut iam. in Vitantio cum ~~[illegible]~~ vacas et silvestrem arguta musam meditaris avena. Si vacabit ad me scribere, iam domi sum. fui in Utopiae regno, ubique et nullibi, vagus erro et depravatissimae Dominae, quam Phantasiam vocant, in cuius vestibulo sedere luctus et curae, mancipium. illa me prius habuit, quam Turca captivos Christianos. Isti Chimaerae illigatus expediri cupio et expedior indies amicorum alloquiis, contubernio et non nimis seriis narrationibus. Confer symbolam, et scribe aliquid non tragicum sed comicum. dic te talem nec esse nec fuisse, qualis fui non ita pridem ego, nec meus, nec tuus nec ullius, et felicitatem hanc tuam remedii mei partem putabo. Si illud votum ratum habeat Deus, ne unquam tali

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 180
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4704

fias, aut fiam posthac ego. Jamjam recedent sensibus improbe
Nubes et orbi reddar amoenior,
Et te vocari, summe Vatum,
Et meminisse velim tuorum.

Vale vir maxime et tuos saluta, etiam ubi occasio fert
Nob. Dnm Vicofortium. Amstel. xxiij. Nov. CIↃIↃCXLVII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 180
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4704

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 180
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4704

Den Heer
mijn Heer Constantinus Huijgens,
Ridder, Heere van Zuilichem, & Raedt
ende Secretaris van sijn
Hoocheijt,

port

Haghe